

2. D. B. V!

756.

ASSERTIO  
SANÆ DOCTRINÆ

DE

GRATIA SPIRITUS  
S. DOCENTE,

CUJUS DISPUTATIONEM I.

AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ATQUE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS

ETC. ETC. ETC.

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,

PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. TEMPLI

OO. SS. PRÆPOSITO, ALUMNORUM SAXON. EPHORO

COLLEGIQVE SUI h. t. DECANO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQUENDI

AD D. XX. FEBR. A. R. S. c13 13 C C X,

IORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS,

IN AUDITORIO MAJORI

PUBLICE DEFENDET,

JOHANNES CHRISTOPH. ERNESTI,

PASTOR TENSTADIENSIS ET INSPECTOR

SAXO - ELECTORALIS.

WITTENBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

*Handwritten signature and scribbles*

*Diss. A. 234 (44)*

Coll. diss. A  
34, 44





I. N. J.



Uum, ineunte seculo superiore, Fran-  
 neckeræ in Frisonibus, Sibrandus  
 cum Episcopo disputare vellet,  
 præter literatos omnis ordinis, eti-  
 am oppidani, Latinæ lingvæ ex-  
 pertes, magno numero advola-  
 rant. Quos inter cum suum quo-  
 que hospitem deprehendisset Alb. Hutthenus, qui postea  
 Sedani Ebræas literas, mox apud Remonstrantes in Eccle-  
 sia docuit, mirabundus quæsit, quid inter literatos ei  
 esset negotii? Respondit hospes: Cupere sese videre, uter  
 esset discessurus superior. Huttheno autem instante: qui  
 hoc se cogniturum putet, quum nesciat lingvam, qua  
 disputantes utantur? Respondit hospes: qui prior erum-  
 pet in iras, is victus erit, ut tradit Limborchius in Episco-  
 pii Vita. Hujus narrationis mihi venit in mentem re-  
 cordari, quum anno superiore Veteranus quidam Lips.  
 Acad. Doctor non modo literas a Celeberrimo Saxoniae  
 nostro Theologo acceptas, & a se ad eundem missas te-  
 merario, & parum consulto ausu, vulgaret, sed & sub  
 initium illius editionis, ac finem, scriptam a nobis supe-  
 riore

riore anno, dissertationem *de gratia Spiritus S. docente*, non sine ingenti animi impotentia, reprehenderet, ac taxaret. Enim vero, qui non solum ab omni indignitate verborum, sed nomine quoque dissentientis, prudens abstinui; sperabam, fore, ut is, si omnino veritati cedere dubitaret, saltem eadem, qua ipse fueram usus, modestia responderet. Sed vehementer ista me opinio fefellit, quando in Epistolarum illarum editione nihil eorum omissum est, quæ me quoquo modo pungere, ac mordere, vel in contemptum adducere posse videbantur. Mirabitur profecto posteritas, privatam, eandemque humanissimis verbis conceptam, admonitionem, vel etiam modestissimam erroris folius, dissimulato auctoris nomine, confutationem, e sene plus quam juvenilem calorem elicere potuisse. Sed enim vero, Deum ista sapienti consilio permisisse puto, quo nemini non innotesceret, dissentientem ad id hominum genus pertinere, quod, ubi satis diu Orbi Christiano ficta, pictaque pietate imposuit, nunc ne *μὲν φῶσιν* quidem ejus, aut speciem, retinet, sed artibus, cavillis, clamoribus, calumniis, contumeliis, & criminationibus, omnia implet, atque id unum agit, ut horribili convitiandi furore bonos viros ab instituta veritatis defensione deterreat. Ego autem subsecuturæ victoriæ vel præludium, vel partem interpretor, quod, cum ipse tanta animi moderatione sim usus, ille tanto cum stomacho respondit, & pro rationibus subinde contumelias, pro argumentis convitia reddidit. Nec enim vel humanitatis, vel modestiæ, vel curæ multum, plurimum vero iracundiæ, dicacitatis, & imprudentiæ attulit ad scribendum. Quo facilius mihi fuerit retundere tumultuarium senis impetum, veramque *de gratia Spiritus S. Docente* sententiam

ab

ab adversarii cavillationibus ita vindicare, ut, utra plus minusve in Scripturis fundata sit, æquis, bonisque judici- bus non possit non apparere. Tractationem ipsam in *duas partes* dispescam, in quarum *prima* de Gratia Spi- ritus S. *Assistente in genere*; in altera de gratia Sp. S. *Do- cente in specie*, sum acturus. Deus faxit feliciter!

*Propositio I.*

Datur quædam gratia DEI  
assistens.

Κατασκευή:

§. I. **M**elioris doctrinæ causa huc afferro, quod *assistencia*, vel *auxilium DEI*, non sit ejusdem generis. Aliud enim est *generale*, aliud *speciale*. *Generale* revera nihil aliud est, quam ipse omnipotentis DEI *Concursus*, quo subtracto, ne manum quidem, aut pedem, movere ho- mo posset, quod constat exemplo Jeroboami, qui pro- jectum a se brachium recipere ad se non potuit, *1. Reg. XIII, 4.* & Valentis Imp. cui, exilii sententiam adversus Ba- silium confirmaturo, manus in ligni duritiem obriguit. In DEO enim sumus, vivimus & movemur. *Act. XVII, 28.*

§. II. *Specialis* Assistencia denuo subdividitur, siqui- dem alia respicit *meram pedagogiam*, alia vero ipsam *sanctificationem*. Prior illa in factis quibusdam heroicis, & inusitatis virtutum speciminibus, sese exerit, quando scil. Spiritus S. homines, etiam irrogenitos, in deliberando, inveniando, perficiendo, juvat, ut multa præclare faciant in Republica, & rebus consilia, consiliis facta, factis de-  
A 3 nique

nique successus respondeant. Nihil enim in nobis est boni, quod non acceperimus, & ingenium inveniendi, etiam artes fabriles, non aliunde est, quam a DEO, qui suo quoque tempore, quas vult artes, pro mortalium conditione dispensat, ac inspirat, ut loquitur D. Christ. Pelargus Comment. in Exod. p. 305. Quapropter quod Bezaleel & Hiram, alter in tabernaculi, alter in templi Salomonei, elaborandis vasis, vel etiam Nebucadnezar, Cores, Alexander, alii, in condendis summis imperiis, & Judæis vel affligendis, vel consolandis, ultra vulgarem hominum captum, & sortem, hinc ingeniosi, hinc fortes, strenui ac felices fuerunt, id vero auxilio ac bonitati Numinis tribui oportere Scriptura ipsa Exod. XXXI, 2. 1. Reg. VII, 13. Jes. XLIV. 28. XLV, 1. 2. 3. 4. & alias, testatur.

§. III. Specialis posterior ipsam hominis sanctificationem intendit, eundemque per verbum & sacramenta illuminando, compungendo, & assensum ac fiduciam excitando, nullis denique non gradibus Conversionis, se exerit.

§. IV. Hoc loco nec de generali illo, nec de speciali, prioris generis, auxilio agitur. Utrumque enim (ut ut interdum aliquid extraordinarii intervenire non negem,) spectat ad providentiam communem, regnumque potentiae, & Articulum Symboli Apostolici primum. Nostrum vero, de quo loquimur, spectat ad οἰκονομίαν, regnumque gratiae, & Articulum Symboli Apostolici tertium. Utrumque illud vel externam tantummodo disciplinam, aut communem hominum societatem, & temporariam conditionem; Hoc autem internam eorum sanctificationem, æternamque salutem respicit, unde & sigillatim gratia, vel presentia, Spiritus S. assistens appellatur.

§. V. Ubi

769.

§. V. Ubi tamen & illud monendum est, gratiæ vocem h. l. non significare *perfectionem* quandam, vel attributum in DEO, per quod ad bene faciendum creaturis rationalibus propendet; sed attributi illius effectum. Neque etiam primæ commiserationis affectum, de quo *Jo. III, 16. Rom. V, 8.* & alias, legitur; vel benevolentiam merito Christi partam, ac provocatam, ut *Rom. III, 24. Ephes. I, 4. 5.* sed affectum cum applicatione, & effectum, vel actualem applicationem mediorum salutis *1. Cor. III, 10. Eph. I, 13.* ita, ut non modo conatum, & *operationem* respectu DEI, sed & fructum & *perceptionem* respectu hominis, involvat.

§. VI. Applicat autem media salutis Spiritus sanctificator, vel *ante* intimam sui cum homine conjunctionem, vel *post* eandem. Nam quum vel ipse Satanas impurus licet spiritus, hactenus elegantias amet, ut *οικον σεσαρωμένον, & κεκοσμημένον* ingrediatur lubentius *LUC. XI, 24. sq.* quis putet, spiritum omnis munditiæ, castitatis, & sanctimonix auctorem, talia negligentius curare? Uti que non intrat animam peccatorum sordibus coopertam, nec habitat in corpore sceleribus obnoxio *Sap. I, 4.* Ante igitur per media quædam domicilium sibi, ac sedem præparat, illudque tum lumine suo collustrat, tum a peccatorum sordibus repurgat, antequam ingrediatur & habitet.

§. VII. Enimvero, quod B. Hulsemannus adversus Hagerum *p. 123.* pluribus rationibus ostendit, I.) *Spiritus S. etiam datur homini ante in habitationem gratiosam.* Quod si quis cavillari cum Neo - Pelagianis, Langio, Zieroldo, reliquis cupiat, dari per gratiam *prævenientem*, non *assistentem*, respondeo, gratiam *prævenientem assistenti* ineptissime opponi, nec illam solum oportere attendi, ut *foris*  
ten-

*tentat* animum hominis, sed & ut *penetrat*. Quoposito, non modo *datur a Deo*, sed & *accipitur*, & *habetur ab homine* Spiritus S. & *habetur ante inhabitationem*, nempe qua gratiam assistentem, & simpliciter operantem.

§. II. 2.) Fides *tota*, quanta, quanta est, qua *omnes sui partes*, adeoque etiam *notitiam* literalem, & *assensum* generalem, est *opus Dei* Jo. VI, 28. 29. Phil. I, 6. 2. Thessal. I, 11. quod nec incipi, nec perfici potest nisi ab ipso Deo, Rom. XIV, 20. Eph. I, 19. Ebr. XII, 2. unde & dicitur *πίστις τῆς ἐνεργείας τῆς Θεοῦ*, fides quam operatur Deus, Col. II, 12. Conf. *Hafenrefferus in Compend. L. III. stat. restaur. L. II. pag. 367.* Jam, quomodo producit eam ac operatur Spiritus? num *inhabitando*? Atqui inhabitatio supponit fidem *Ephes. III. v. 18.* Ergo *assistendo*. Unde ex *1. Cor. XII, 13. 14. sq.* infert *B. Hülfemannus l. c. p. 126. nihil incommodi esse, si Spiritus S. secundum aliquam operationem dicatur NB. DARI ANTE FIDEM.*

§. IX. Cum 3.) *Conversio*, *adequate* sumpta, non fiat in momento, sed *successive*, tota vero *conversio*, &, quæ per eandem *ingeneratur*, fides *dependeat a Spiritu S. præsentia*, & *auxilio*, *dependebit eadem vel a gratia & præsentia inhabitante*, vel a *preparante*. Non ab *inhabitante*, quoniam alioqui sequeretur, *inhabitare illum homines ante conversionem, & fidem*, quod est absurdum. Ergo ab *assistente*, ac *preparante*, nisi statuere velimus, *fidem, procul omni Spiritu S. auxilio, accendi, quod manifesto fanaticum est.*

§. X. Idem hoc 4.) A. *Confessio* Art. V. his quidem verbis confirmat: *Per verbum & Sacramenta, tanquam per media, donatur Spiritus S. qui fidem efficit* (datur ergo quædam Spiritus S. donatio, & præsentia ante fidem) *ubi,*  
 &



Et quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium. Quæ cum Cassander, Grotius, aliique, negarent, conciliari posse, cum verbis Apologiæ, quæ docet: *Fidem afferre Spiritum S. Per fidem concipere nos Spiritum Sanctum* &c. recte ad h. l. monuit in Isagoge sua B. Carpzovius, distinguendum oportere, inter gratiam Spiritus S. *Assistentem*, & *inhabitantem*. Per illam dari Spiritum S. ad fidem concipiendam: Per hanc ad inhabitandum eos, qui credunt pag. 252.

§. XI. Consentiant Theologi in nullam unquam heterodoxias suspicionem adducti. B. Lyserus: *Gratia*, inquit, *commode in duas species dispescitur, in Assistentem, quæ extrinsecus compellit hominem, & cor pulsat per verbum Legis, & alia externa media, & inhabitantem. Vid. Syst. pag. 709.* Addatur Qvenstedius in *Syst. P. III. Sect. II. f. 494.* Ante utrumque hanc distinctionem ut pridem receptam urisit, repetiitque, Lipsiensis Academiae decus quondam, ac lumen, B. Höpfnerus, qui *Disput. VIII. de Iustif. p. m. 618.* responsurus aduersario: *Ad hujus, inquit, argumenti refutationem prodest distinctio presentie Spiritus S. vel quoad assistentiam tantum, vel quoad inhabitationem. Nam Spiritus S. quidem per assistentiam presens est, NB. etiam non renatis, cum eos NB. incipit regenerare; sed inhabitat gratiose illos tantum, quos justificavit.* Hæc ille Theologorum Phœnix, qui si nunc surgeret, o! quam miraturus erat, distinctionem a se adhibitam, & in Scripturis fundatam, ab iis desereri, ac contemni, a quibus minime debebat.

§. XII. Ceterum Gratiam Spiritus S. assistentem Scriptura non modo qua *rem*, quod ante vidimus, sed & *nomen* ipsum, modumque loquendi, docet. Dominus enim dicit: *Ecce sto ante ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperueris januam, intrabo ad illum.*

B

Apoc.

*Apocal. III, 20.* Quibus verbis non intrare animos quomodocunque sese habentes, vel etiam per vim occupare illos, sed adstare primo præ foribus, hinc pulsare, ut intromittatur, tandem vero intromitti, ac intromissum coenare, significat. Prioribus præsentia Spiritus S. *Assistens*: reliquis *inhabitans* denotatur, *B. D. Höpferi* iudicio l. c. pag. 621. quod *B. Rappoltus* repetit, suffragioque suo confirmat in *O O. p. 1343.* Recte igitur *B. Cluverus* in *Diluculo P. I f. 166.* hoc oraculum hanc in sententiam *παρά-Φεράζει*: *Sto ad ostium cordis vestri, & pulso, ut aperiatur mihi, Actor, XVI, 16.* *Corda enim vestra clausa & obserata sunt mihi Salvatori vestro. Regnant intus tenebræ, inscitia, caligo, & sordes iniquitatum. Non tamen ego oclusas prætereo, non ignavus, lassusve assideo, sed sto indefessus ac pulso, ut NB. sopitam & mortuam intelligentiam suscitarem, vosque meam vocem agnoscere, ac veluti sponsum intromittere possitis &c.* Mox autem p. 167. laudat interpretes, quod ex h. l. gratiam Prævenientem, quæ laxius sumpta, cum Assistente coincidit, probatam dare studuerint.

ΑΝΑΣΤΗΥΗ.

S. I. **D**issentiens conceptis quidem verbis gratiam *Assistentem* non negat, sed potius videri vult *in sensu orthodoxo*, ut loquitur p. 11. & 12. admittere illam; re tamen vera, *virtualiter*, ac *in effectu*, tollit. Enim vero primum l. c. gratiam *illuminantem*, ab *Assistente* distingvit. Deinceps quicquid *ante gratiam inhabitantem* in homine datur, utpote *notitia literalis, assensus generalis*, id omne non a *gratia*, sed a *natura* derivat p. 33. Porro negat, *aliquid novæ vitæ, lucisque* cadere in hominem posse,

AN-

ANTE QUAM Spiritus S. in eundem sese insinuaverit, i. e. eundem inhabitare cœperit: & NB. DUM fides accenditur, adeoque dum homo ad conversionem movetur, & ad regenerationem præparatur, Spiritum S. in eo inhabitare statuit. p. 57. & 67. Quæ profecto plenariam gratiæ Assistentis infitiationem involvunt. Cui enim bono eadem statuetur, aut quis demum eidem assignandus fuerit vel locus, vel effectus, si fides historica, & illuminatio passiva, in qua primum emendandi hominis gradum collocamus, adeoque fidei totius accensio, ab inhabitante gratia fuerit derivanda?

§. II. Sed ne quis opinetur, me bono Viro alienam affingere sententiam velle, excito fidelem ejus socium, ac interpretem, Joachimum Langium, idque hoc potiore jure, quod is de Dissidentis, imo totius Philyreæ, hoc in argumento, consensu, semel, iterumque, ac sæpius, imprimis in *Præf. Longo-Barbari*, bona τὴ ἀντιδιῶν pace, ac nemine, quod norim, contradicente, gloriatus fuit. Hic igitur, quod Dissidenti, causæ forsan diffusus, subobscurè insinuavit, aperte, ac procul ambagibus eructat: *Pseudo-Orthodoxa*, inquit, *sententia de Illuminatione impiorum frustra se tuetur nova, eaque vix quadragenaria, aut quinquagenaria, & jam refutata, distinctione Spiritus, & Gratia, in ADSISTENTEM & INHABITANTEM.* Subjicit: *Pseudo-Orthodoxi, in angustias redacti, cum suo impietatis patrociniis, (bona verba quæso!) ubi viderunt secundum Scripturam negari veros Spiritus S. ac gratiæ effectus in impiis, perseveranter talibus, ne cogerentur concedere, notitiam impiorum esse naturalem, & minus genuinam, EXCOGITARUNT modo dictam distinctionem &c.* In sequentibus originem ejus ad tempora controversiæ inter

*B. Calovium τὸν πᾶνυ, & Calixtum de Syncretismo, agitatae restringit, ac B. D. Reinhardum, germanum Calovii discipulum, eandem finxisse somniat. Denique ne quid ad ineptias desit, Barbarus hoc epiphonemate totam discussionem concludit: Certe hic de Spiritu Assistente error, re ad vivum excussa, uti Pelagianus, sic etiam crasse fanaticus est. Nam fingitur id esse Spiritum Dei, quod nil est, nisi natura, eaque corrupta. - - Unde simul liquet hoc fanatico Pseudo-Orthodoxorum errore Physiolatricam committi. Vid. Longo-Barbarus T. I. Sect. I. Prop. X. p. 170. 171. 173. 174.*

§. III. Fateor, ista cum legerem, apud me ipsum subdubitare coepisse, magisne deplorare ignorantiam hominis, an detestari parem malitiae audaciam, & calumniandi libidinem, deberem. Proscribere audet distinctionem gratiae in *Assistentem, & Inhabitantem*, quia sit *nova, & a Pseudo-Orthodoxis excogitata*. Atqui fundamenta ejus tum ratione *nominis*, tum ratione *rei*, ostendimus in Scriptura, ex eaque derivata Confessione Aug. & ea quidem solidiora, quam quae barbaris cavillationibus everti possint. Quod autem in Scripturis, symbolisque fundatum est, quo jure postulabitur novitatis? *At, inquit, vix quadragenaria, aut quinquagenaria est ista distinctio*. Lepidum vero Chronologum, qui audet suas, etiam distinctionibus, *epochas* assignare! Unde vero innotuit, *vix quadragenariam esse*? Nimirum excogitata est tempore Syncretisticae controversiae, & a *B. D. Reinhardo conficta*, Museo teste. Sed enim nullibi docuit *Museus*, ante istud tempus hanc distinctionem inauditam fuisse. Doctior erat *Museus*, quam qui, eandem pridem usitatam fuisse in Scholis Theologorum, nesciret. Ignoratam eam fuisse tempore *Form. Concordiae*, scribit, (quam recte, jam non disputo;)

972

sputo; ) *suo* tempore, & *ante* istud, non scribit. Et vero annon insinuat distinctionem *Cluverus in Diluc. Apocal. ad c. III, 20.* quem ille Commentarium inter annum seculi superioris *XX. & XXX.* scripsisse apparet, & ita quidem insinuat, ut eandem jampridem, eo ex Oraculo, ab aliis erutam esse doceat? Annon eandem insinuat *B. Hülfemannus, in Manuali A. Conf. c. Hagerum, p. 123.* quod anno seculi sup. *XXXI.* Vittembergæ prodiisse constat? Annon *Höpfnerus*, Theologorum princeps, eandem ut *pridem receptam*, & in Scripturis fundatam, repetit, & contra adversarium in *Disp. VIII. de Justif.* urget, quam pariter vel *ante*, vel *sub id* tempus, scriptam fuisse patet? Annon *Gvil. Lyserus in System.* sub annum seculi sup. *XL.* elaborato, eandem sæpius attulit, ac probavit? Ne quid de *J. B. Carpzovio, Rappoldo, Quenstedio*, aliisque nunc addam. Denique cum *Præveniens*, sensu laxiore, & *Assistens* non differant, ut infra monstrabimus, illam vero suo jam tempore *Augustinus* statuerit, quod negari non potest, quæ rogo, vel stoliditas, vel indignitas est, illud insectari ut *novum, & XL. abinc annis confictum*, quod non modo in Scripturis fundatum, sed & piæ Antiquitatis suffragio communitum, & ante integrum prope seculum, quum controversiæ de syncretismo nondum erupissent in nervum, a præstantissimo quoque Theologo conceptis verbis laudatum, nec sine fructu adversariis oppositum fuit? Dicit Longo-Barbarus: *confictam eam fuisse, a Pseudo-Orthodoxis, ne cogereentur admittere, notitiam Impiorum esse naturalem.* Atqui *Höpfnerus* eam attulit, ne cogereentur admittere, gratiæ *prævenientis motus*, & *internum Spiritus testimonium*, esse unum & idem: *Hülfemannus*, ne cogereentur admittere, *fidem ingenerari sine Spiritu Sancto*: *Ly-*

*ferus*, ne cogeret admittere, *Deum inhabitare homines, absque medio: Carpozovius*, ne cogeret admittere, *August. Confessionem errasse: Rappoltus*, ne cogeret admittere, *Spiritui S. resisti non posse. Inhabitans enim ejicitur, Assistenti resistitur. Reinbardus*, ne cogeret admittere, *Spiritum S. a verbo separabilem, aut Scripturam, literam mortuam, esse. His de causis distinctionem illam non primi, ut calumniatur Barbarus, excogitarunt, sed in Scripturis deprehensam adhibuerunt, & usurparunt, Majores nostri, in nullam unquam heterodoxias suspicionem adducti. Quid igitur audet perditus Pietista non solum, nescio quas, causas adinventæ distinctionis confingere, sed etiam omnes, qui eam probant, Pelagianismi, & Physiolatriæ, insimulare? Pelagius hoc nomine postulabatur hæreseos, quod ea, quæ sunt GRATIÆ, vindicabat NATURÆ, & huic omnia, illi parum, aut nihil tribuebat. Nos ideo accusamur, quod, ORDINE INVERSO, ea, quæ sunt NATURÆ, utpote notitiam literalem, & generalem assensum, GRATIÆ asseramus, & huic omnia, nature parum, in convertendo homine, relinquamus, & tamen Pelagianismi ac Physiolatriæ arguimur: o calumniam vere barbaram, & absurdarum absurdissimam!*

### Propositio II.

Eademque cum præveniente,  
sensu laxiore, coincidit.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ.

§. I. **P**Ræveniens dicitur a præveniendo, quia Deus hominem rerum suarum satagentem, ac sæpe de nulla re minus, quam Conversione sua, cogitantem anteve-

teve-

tevenit sua gratia, perinde ut Pater indulgens Filium  
 ἄσῳτον, μακρὰν ἀπέχοντα, complexu & osculo antevertebat,  
 Luc. XV, 20.

§. II. Hæc ipsa vero gratia, nunc *generaliter*, & laxè,  
 nunc *specialiter*, & stricte, accipitur. *Generaliter* sumpta  
 adæquate opponitur *subsequenti*, & adjuvanti, vel coope-  
 ranti, adeoque tam late patet, ut omnes conversionis  
 gradus, usque ad inhabitantem, contineat. Audiamus  
 hac de re B. Rappoltum: *Præveniens*, inquit in OO. p. 1339.  
 (qua etiam *preparans*, *excitans* & *operans* dicitur,) est  
 gratiosa Dei actio, qua intellectum hominis notitia rerum  
 salutarium illustrat, & per eandem illuminationem, ac sen-  
 sus verbo divino comprehensos, in voluntatem agit, & su-  
 pernaturales vires credendi ei confert, & deinde ad exer-  
 citium illarum Virium hominem disponit, & ad id excitat,  
 atque instigat &c.

§. III. *Stricte* sumpta reliquis Conversionis gradibus,  
 præparanti, nimirum, operanti, & excitanti, contradistin-  
 guitur, illudque solum beneficium notat, quo Spiritus S.  
 homini irrogenito ipsum objectum salvificum mediante  
 verbo, quocunque modo, proponit, ut Königius describit.

§. IV. *Laxius* accepta omnino est Synonymum Gra-  
 tiæ *Assistentis*, quoniam utraque *inhabitanti* opponitur, &  
 per omnes Conversionis, vel regenerationis gradus, usque  
 dum absolvatur fides, sese diffundit. Hujus enim accensio  
 gratiæ *Prævenienti*, non *inhabitanti*, vel *subsequenti*, debetur.

### Ἀνασκεινῆ.

Barbarus ergo error est, quod Langius, in suo Barbaro  
 p. 175. Gratiam *Assistentem* impugnat, *Prævenientem* ad-  
 mittit. Perinde enim est, ac si quis velit gratiam *justifi-*

CAT-

*cantem largiri: absolventem, vel remittentem, negare. Ipse fatetur, Augustino prævenientem dici, quæ fidem accendat. At vero, quando notitia literalis, cum assensu, ingeneratur, & cor ipsum compungitur, ac ad fiduciam præparatur, haud dubie accenditur fides, quum illa fiduciæ concipiendæ semina, & fundamenta, fidei autem, adequate spectatæ, partes sint: & tamen isthæc omnia gratiæ assistenti, non inhabitanti, quippe quæ fidem plenam sequitur, debentur; Ergo inter assistentem, & prævenientem gratiam nihil datur discriminis.*

### Propositio III.

Hæc ipsa vero gratia, uti est ab inhabitante diversa; sic cum eadem non est necessario connexa.

#### ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ:

§. I. **D**Iversam esse Gratiam Assistentem ab inhabitante, modo non obscure insinuavimus. Nec enim omnis mediorum vel applicatio, vel perceptio, cum ipsa inhabitatione conjuncta est. Bene, ac sapienter, *D. Guil. Lyserus in Syst. pag. 14.* operationem gratiæ Ministrantis & Assistentis ab inhabitante, & justificante distingvit. *Gratia, inquit, ministrans est, quæ lucem veritatis NB. cordi hominis confert, & vires movet. Oritur autem hæc gratia a Spiritu S. & NB. tendit quidem ad salutem; at vero per se doctrinam tantum respicit, ut & adsit, antequam gratia inhabitans operetur. Imo gratia Assistens absque justificante sæpe existit. Et potest esse aliquis Theologus, qui nunquam plene convertitur: potest literalem gratiam retinere*

*vere*



*nerē & justificantem amittere.* Hæc *Lyserus.* Et omnino aliud est venire Deum: aliud, post adventum, hospitium sibi sumere *Jo. XIV, 23.* Aliud est Patris tractus, quo jungamur cum DEO, *Jo. VI, 44.* aliud est ipsa mysterii plena cum eodem conjunctio: Aliud est pulsus Domini, ut intromittatur: aliud intromitti: aliud post intromissionem cœnare. Illud gratiam *Præparantem*: istud *perficientem*: hoc *inhabitantem* notat *Apoc. III. 20.*

§. II. Si cui isthæc non satisfecerint, addimus, quod differant 1.) *subjectis.* Gratia enim *Assistente* præsens est Spiritus S. etiam *non-renatis*, ut *B. Carpozovius* loquitur l. c. ad regenerationem tamen, ac conversionem per media idonea excitandis: *Inhabitante* vero adest singulis *plene* conversis, credentibus, ac justificatis. Differunt 2.) *forma.* Gratia enim *Assistens* in nuda præsentis Spiritus, utut interiore, operatione, domiciliique, per applicationem mediorem Conversionis, præparatione, ac pulsatione: *Inhabitans* vero in propiore Spiritus S. & hominis conjunctione, cordis, animæque possessione, dotium ac ornamentorum communicatione, consistit. *Assistens intra* hominem, & *circa* hominem: *Inhabitans in* homine, *cum* homine, & *per* hominem operatur. Differunt 3.) *gradibus.* *Assistens* enim, utut Spiritus Sancti *intra* hominem, *operationem*, vel etiam quandam operationis in corde *perceptionem*, involvit, tamen, si cum *inhabitante* comparetur, est quodammodo *externa*, quia stat Dominus *ante ostium*, & *pulsat*: *Inhabitans* autem intimam DEI, hominisque conjunctionem, mutuumque amorem, & rerum plurimarum societatem, importat. *Gratia præveniens*, & *præparans*, vel, ut mox subjicit, *Assistens*, est, *qua extrinsecus homo regitur.* *Quando enim jam conversus est*, *intrinsece regitur,*

*tur*, verba sunt *Gvil. Lyseri in Syst. p. 709.* Differunt 4.) *fine, & effectu.* *Assistit* enim Spiritus S. ut præparet cor hominis ad inhabitationem: *Effectus* igitur *Gratie Assistentis* sunt vires ad credendum, *B. Carpzovii* iudicio, vel *germina verbi*, ab homine intra mentem recepti, *semina*, ut sic loquar, & *initia* fidei, fides plena *quoad potentiam*, ut *B. Rappoltus* loquitur in *OO. p. 1343.* ad quam spectant non repugnantia, *gratia literalis*, quam ita vocat *Lyserus*, assensus, & convictio cordis, omnis denique operatio Spiritus S. qua compunctus homo excitatur, ac movetur ad fiduciam, plenamque adeo fidem, concipiendam. Pulsat enim Dominus ut intromittatur *Apoc. III, 20.* Intromittitur autem per fidem. Contra vero *inhabitat*, ut ornet, beet, custodiat, ac confirmet. Adeoque effectus *gratie inhabitantis* non est, ut *Assistentis*, fidei ipsius collatio, sed collatæ fructus, augmentum, & conservatio, totusque *status gratie.* Denique 5.) *ordine temporis*, atque momento, differunt. *Assistens* per omnes gradus Conversionis, usque ad ejus complementum, perdurat, locumque habet, simul ac Spiritus S. *incipit homines regenerare*, ut loquitur *B. Carpzovius in Isag. p. 251.* *Inhabitans* conversionem ac regenerationem jam absolutam supponit, & sequitur justificationem, quam antecedit *Assistens.*

§. III. Quæ quum ita se habeant, *Assistens* cum *inhabitante* gratia semper, ac perpetuo non cohæret. Recte paulo ante *Lyserus*: *Gratia Assistens absque justificante sepe existit.* Uti enim Petrus, e carcere per Angelum liberatus, semel iterumque pulsabat fores ædium Matris Johannis Marci, nec tamen statim intromittebatur; sic etiam Spiritus S. pulsat fores, hujus, vel illius hominis convertendi,

tendi,

775

tendi, nec tamen omnino intromittitur, ut possit inhabitare, quod ei nunc in gratia excitante, nunc in operante, nunc in percipiente obex ponitur. Pulsabat fores Herodis, inclinando eum per gratiam prævenientem, ac præparantem, ad auscultandum Joanni, & obsequendum in multis: Pulsabat Felicis, Procuratoris Judææ, terrorem ei per concionem, a Paulo habitam, incutiendo; Pulsabat denique fores Judæorum omnium, eosdem præveniendo, & ad regnum gratiæ invitando: nec tamen vel ab Herode, vel a Felice, vel a Judæis ad inhabitandum admissus fuit. Itaque Scriptura ipsa l. c. *Apocal.* ingressum Domini, non a pulsatione forium, sed conditione apertæ januæ suspendit, manifesto argumento, pulsari quidem fores posse, ut intromissio non sequatur: nec tamen intromitti Dominum sine prævia pulsatione: adeoque gratiam *Assistentem* habere quidem locum posse sine *inhabitante*, inhabitantem vero nunquam sine *Assistente*, quod h. l. diligenter notandum est.

Ανασκειυη.

§. I. Errat igitur ὁ Ἀντίδικος, quando de utraque Spiritus S. gratia ita disputat, ut *Assistentem* cum *Inhabitante* manifesto confundat. Recito adversarii verba: *Contra me disputatur*, ait *Append. I. p. 102. quod dicam*: Spiritum S. in mentes hominum sese insinuantem novam in illis vitam & lucem efficere. *Ergone vita nova datur sine Spiritu S. in corda nostra se insinuante, & lux nova? quodnam igitur vite illius mentem animantis principium est, quod internum certe esse oportet.*

§. II. Monitum scilicet a me, nec sine causa, fuerat, ponere illum Spiritus S. gratiam inhabitantem, ante

*illuminationem*, quod utique est totam gratiæ *οικονομίαν* pervertere. Nec tamen audent imputatam sibi sententiam negare, sed quærit vel imperite, vel temerarie: *Num detur nova vita sine Spiritu S. in corda nostra sese insinuante?* Quod si illud *de nova vita* acciperet, cum Scriptura, pro *statu renovationis*, studioque charitatis, & OO. BB. ut *Rom. VI. v. 4. 11.* & alias sumitur, facile largirer, quod postulat. Nunc ubi contextus docet, eum *novæ vitæ* nomine significare lumen in animo accensum, vel conceptus de rebus sacris a Spiritu S. cum eodem communicatos, nego eam sine Spiritu S. *inhabitante* dari non posse, & præeunte Scriptura, fideique totius analogia, nego, quum illuminatio *prima*, quæ fundamentum, ac *semen* concipiendæ in Christum *fiduciæ* est, *prima*, inquam, (de hac enim disquiritur, non de *secunda*, vel certis illuminationis gradibus, & incrementis, quæ sine Spiritu S. *inhabitante* non dari pariter concedo,) quanta quanta est, a gratia Spiritus S. præparante, operante, & excitante, adeoque *Assistente*, non autem *inhabitante*, dependeat, quod in sequentibus ostendetur.

§. III. Distingvendum ergo hic fuerit, cum *Rapporto*, OO. p. 1340. inter *initium vivificationis*, seu momentum primum, quo accipimus vim spiritualiter vivendi, per gratiam prævenientem, h. e. dantem vires supernaturales ad pietatem, & excitantem ad usurpationem illarum virium; & inter *momentum vivificationis secundum*, quod consistit in facultatis illius ad edendas spirituales actiones collatæ exercitio. *Vita nova*, qua momentum *primum*, datur etiam sine Spiritu S. sese in cor hominis insinuante; utut non detur sine Spiritu circa cor versante, ac operante. Ab interiore enim operatione, ad inhabitationem,  
non

776.

non est concludendum, quod mox videbimus. Qua *secundum* vero momentum largior, *vitam novam* sine *inhabitante* Spiritu non dari, quum gratiam cooperantem ac subsequenter involvat.

§. IV. Urgetur: *oportere tamen Principium Vitæ illius, mentem animantis, esse internum.* Quam quidem ego sententiam, fateor, me quodammodo mirum, imo dubium, incertumque habere. Nec enim non satis inter omnes constat, quantopere pro *interno illuminationis principio* fanaticorum turba propugnet, quod nunc verbum *internum*, nunc semen *internum*: nunc λόγον ἔμφυτον: nunc lumen *insitum*: nunc Filium Dei incarnatum: nunc Verbum caro-factum, & nos inhabitans: nunc Christum *internum*, & omnium frequentissime his temporibus, *Christum in nobis*, nominant. A qua pestilente, execrabilique sententia, num omnino alienus sit ὁ ἀντίδικος, Deo καρδιογνώση explorandum relinquo. Saltem non facile memini, Orthodoxum quenquam hoc tempore, quo omnis fanaticismi est fugienda suspicio, ista formula usum, & principium quoddam illuminationis *internum* statuisse, cum omnis illuminatio *prima* gratiæ Spiritus S. *Assistenti*, verboque *externo*, debeat.

§. V. Dixeris: *Atqui hoc verbum, una cum Spiritu eidem coexistente, recipi oportet a mente, & hæcenus fieri internum.* Resp. Spiritus S. quidem per verbi divini sensus acceptos *intus* operosus est, & efficax, verbum quoque ob admissionem, & receptionem, dici potest *internum*, sed non eo sensu, quo vocem Adversarius accipit. Hic enim *internum* dicit, quod per *insinuationem* Spiritus S. & *inhabitantis gratiæ initia*, inest. Atqui non omne, quod *intus* operatur, vel etiam quod a mente re-

C 3

cipi-

cipitur, animo volvitur, ad conceptus formandos dirigitur, statim ad modum *inhabitantis* sese insinuavit. Quoties *datur Spiritus S.* idem fit haud dubie *interior*. Nul-  
 libi tamen Scriptura dicit, *dari Spiritum S.* idem esse, quod *inhabitare*, ut loquitur B. Hülfem. *Disp. IV. Man. pag. 124.*  
 Nam ne quidem *inspiratio interna*, vel boni, vel mali spi-  
 ritus, cum *inhabitatione*, & *obsessione* est confundenda,  
 quum & Diabolus Davidi *mala suggesserit*, sine *obsessione*;  
 & Spiritus S. Bileamo *bona*, procul *inhabitatione*. Recte  
 haftenus B. Grauerus ad *Art. V. A. C. p. 847. Spiritus S. NB.*  
*IN impiis est, ratione operationis generalis, non specialis.*  
 Et B. Höpfnerus, *Disp. VIII. de Justif. p. 629.* probat distin-  
 ctionem Becani, quando dicit: Aliud est, *esse in domo*;  
 aliud, *habitare in domo*. Qui habitat, habet ibi thesau-  
 ros suos.

§. VI. Indignus igitur veterano Doctore error est,  
 a qualicumque Spiritus S. in mente hominis operatione,  
 Verbique ipsius in aurem animumque demissione, ad *in-*  
*sinuationem* quandam ipsius Spiritus, vel *inhabitationem*,  
 velle concludere. Inhabitamur enim gratiose per fidem:  
*Eph. III, 17.* Sed si *inhabitatio* ipsam illuminationem, cu-  
 jus terminus est notitia salutaris, quæ fidem ingreditur,  
 præcedit, Fides dabitur ante fidem, imo tota fides ante  
 fidei partem, quod est absurdum.

#### Propositio IV.

Quin potius Assistens non natura  
 modo, sed & tempore, inhabitantem  
 Gratiam præcedit.

κατασκη.

## Κατασκευή.

§. I. **A**bsolvit enim totam Conversionem, quæ cum mentis illuminationem, tum voluntatis emendationem, complectitur. Utraque fit successive, & per gradus, quos inter alter alterum, non naturæ modo, sed temporis quoque, ordine antecedit. Habet enim se verbum DEI lectum, vel auditum, ad instar seminis in terram projecti, quod *πρῶτον χόρτον, εἶτα σάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ σάχυϊ καρποφορεῖ, Marci IV, 28.* Ipse autem homo convertendus se habet ut embryo, qui primum concipitur, hinc crescit in utero, tandem in lucem editur. Et quemadmodum hæc omnia temporis ipsius intervallis a se invicem distingvuntur, sic & *Assistens*, & *Inhabitans* gratia. Ubi enim homo est emendandus a lapsu, non uno rem omnem impetu conficit Dominus, sed sensim paulatimque progreditur, & primo naturalem illius repugnantiam cohibet, hinc idoneos de mysteriis conceptus propinat: hinc ad assensum flectit, hinc denique fiduciam ipsam ingenerat, qua posita demum Justificatio & Inhabitatio sequitur. Et licet ultimus conversionis gradus, quem nonnulli regenerationem, pressiore vocis sensu, appellant, *in instanti* obtingat, actus tamen reliqui, præcedentes, ac præparantes, sat longam temporis moram non raro sibi vindicant, quod unius *Augustini* exemplo in Dissertatione ostendimus. Breviter: Uti Conversio, complexa sumpta, etiam tempore prior est nostri cum DEO conjunctione, ita & gratia, quæ Conversionem conciliat, & absolvit.

## Ἀνασκευή.

§. I. Error igitur est, in ipsa fidei, ὀλικῶς sumptæ, conceptione, vel, durante Conversionis progressu, adeoque

que sub ipsa illuminationis primordia, somniare velle quædam *inhabitationis initia*, blando *insinuationis* nomine hominibus propinanda. Nec enim huic locus est, durante, & vires exerente, *Gratia Assistente*, per quam totum conversionis negotium absolvi modo didicimus. Præclare hanc in rem *B. Quensted. P. II. Syst. Theol. cap. IIX. Sect. 2. f. 502. Preparans* (in oppositione ad solam perficientem gratiam) *per verbum ad individuum applicata agit, repugnantiam naturalem & actualem cohibendo, cor lapideum & pœnitere nescium legis pulsū afficiendo, & Evangelium explicando, bancque operationem suam Spiritus S. NB. EXTRINSECUS ADHUC ASSISTENS per gratiam preparantem continuat, nisi homo contumaciter resistat.* Imo vero idem, *B. Königium* secutus, ne ipsam quidem gratiam *Perficientem*, vel ultimum conversionis actum, cum *inhabitante* confundi patitur, quod gratia *inhabitans*, tanquam effectus, subsequatur fidem, ut causam *l. c. f. 498.*

§. II. Nondum igitur video, qui possit cum Scriptura, & Doctorum nostrorum consensu stare, quod *pag. 57.* scribit: *DVM FIDEM IN NOBIS INCENDIT Deus, commercium illud gratiæ in nobis initia capit, quod gratiæ inhabitantis nomine designatur.* Et *p. 103. DVM FIDES ACCENDITUR a Spiritu S. sese in animos insinuante, ipse cum Christo habitat in cordibus nostris.* Quibus verbis & ipsa fidei, adeoque notitiæ, ac luminis in mente, accensio a gratia *inhabitante* deducitur, & gratia *inhabitans*, qua momentum temporis, cum ipsa fidei ingeneratione conjungitur. Quid vero est universam gratiæ *οικονομίαν* confundere ac turbare, imo *Gratiam Assistentem* omnem negare, si hoc non est? Annon ad fidei accensionem,



nem, notitiæ quoque ingeneratio pertinet? Nec tamen, ubi vel minimum notitiæ adest, statim nascitur assensus & fiducia, quod docent converforum exempla. Quod si ergo, DVM fides, quæ pro numero & ratione partium suarum, aliquam temporis moram, & progressionem desiderat, accenditur, jam habitat in pectore Christus, sequitur, gratiam inhabitantem habere locum posse ante fiduciam, fidei nervum, quod negat Apostolus *Eph. III, 18.* Assistens igitur gratia, quæ fidem accendit, *tempore prior* est, inhabitante, nec cum eadem est confundenda.

*Propositio V.*

Plures alioqui Assistentiæ, vel gradus, vel actus, assignantur, qui tamen omnes ac singuli *Gratiæ* nomen sustinent, ac tuentur.

*ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ.*

§. I. Scilicet visum est Sipientiæ Numinis, non uno actu, aut impetu, restituere hominem, verum per *gradus*, & *successive*, ut supra docuimus. Hinc illa gratiæ Assistentis divisio, cuius actus nec eodem numero, nec iisdem nominibus, Doctores Ecclesiæ proponunt, de quibus jam non est disputandi locus.

§. II. Potior tamen, & receptior, tum ordinandi, tum nominandi, ratio est, ut aliam esse dicant *prævenientem*: aliam *preparantem*: aliam *operantem*: aliam *excitantem*: aliam denique *perficientem*.

§. III. Qui omnes vel *actus*, vel *gradus*, ad *Assistentem* spectant, quod omnes, ut supra monuimus, promiscue inhabitanti contradistingvuntur. Hinc sæpe laudatus *Lyserus p. 709*: *Gratia*, inquit, *omnis dividitur in præ-*

D

ve-

*venientem, præparantem, cooperantem, conservantem; sed commode in duas quoque species dispescitur, ASSISTENTEM, & INHABITANTEM.*

§. IV. Sive autem quis plures, sive pauciores, Assistentiæ huic gradus attribuat, sufficit, quod omnes *Gratiæ* nomen, merito quodam suo, sustinent ac tuentur. Oriuntur enim omnes *a verbo*, quod negari non potest. *Omnes autem effectus a verbo prodeuntes, gratiæ sunt, eidemque merito assignantur*, iudicio *B. Lyseri l.c. pag. 709.* Et vero quod Dominus adstat præ foribus, & sibi postulat aperiri, condicitque veluti ad Cœnam, quod item cor hominis aperit, mediaque, & vires concipiendæ fiduciæ largitur, num quis *Gratiæ* documenta esse negaverit? Nam si *finem* quoque horum graduum spectes, non alio iidem consilio adhibentur a Spiritu, quam ut unam fidei partem post alteram generet, & unus gradus alterius consequendæ sit *medium*, usquedum tota conversio absolvatur. Quicquid autem fidei concipiendæ est *medium*, fundamentumque, ac semen, id *gratiæ* nomine merito appellatur.

### Ανασκευή.

§. I. Crassus igitur, & ipsissimus Pelagii error est, ante insinuationem, vel inhabitationem, Spiritus S. nihil *gratiæ* in homine convertendo agnoscere, notitiamque adeo literalem, & generalem Assensum, totiusque fidei analogiam, viribus naturæ tribuere. Quem omnino fovet Dissentiens negando *pag. 72.* *Operationis divinæ per verbum effectum gratiosum cadere in hominem impium*, quod obicem ponat operationi *gratiæ*.

§. II. Sed enim vero quicquid hominem ad pœnitentiam, instar medii, præparat, & fidem quoquo modo ingreditur, id vero non *naturæ*, sed *gratiæ* debetur. Cumque illud de notitia, etiam *simplici*, & qua tali, quæque assensui, fiduciæque substernitur, negari non possit, siquidem consistit in *conceptibus*,  
per

per quas homines, ipsius Dissidentis iudicio p. 35. possunt regenerari; quo jure ambitu gratiæ excludetur? Sine Christo enim, ejusque gratioso influxu, nihil, nihil omnino possumus Jo. XV, 3. ac ne γνῶναι quidem, vel intelligere, ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. II, 14. Certe enim quæ a Spiritus Gratia dependent qua revelationem in verbo, eadem quoque ab ejus gratia dependent qua perceptionem in animo, quæ ad recuperandam salutem est ordinata. Frustra toties obvertitur, poni ab homine impio Spiritui operaturo obicem. Ponitur enim non qua fidei initia, & primordium, sed illius robur, & complementum.

### Propositio VI.

Ab eadem igitur non modo gratiosa operatio, respectu Dei, sed & gratiosus effectus, respectu hominis, proficiscitur.

### Κατασκευή.

§. I. **O**Mnis Gratia Dei *Assistens* exerit sese per *Verbum*. Huic autem perpetuo adest Spiritus S. & præsentissimus adest, non παραστατικῶς, & tanquam instrumento αἰεγῶ, quod elevandum sit ultra propriam suam, & naturalem virtutem; sed ἠνωμένως, & tanquam instrumento ἐνεργητικῶ, quod intrinseca virtute pollet, & cum quo Spiritus S. in *Conversione Mystice* unitur, & per illud tanquam per ὄχημα, in animos hominum convertendorum se illatebrat, ut ibidem operetur, Gal. III, 2. Actor. X, 44. Unio enim verbi, & Spiritus S. est perpetua, & inseparabilis, ita ut ubicunque verbum est, ibi & Spiritus S. sit, per verbum, tanquam per ordinarium medium agens, & corda hominum, naturali remoto obice, aperiens, ut pulcre ac pernervose rem omnem complectitur B. Rappoltus in O O. pag. 1974. Verbum igitur Dei, & Gratia assistens per Verbum, semper est efficax, non solum potentialiter, & actu primo, sed etiam effective, & actu secundo, quia simulac applicatur huic vel illi homini, vim suam, quoad se, exerit, quod recte monet B. Rappoltus p. 18. l. c.

§. II. Quod quidem eo usque verum est, ut quidam gratiæ prævenientis motus evitari ab homine, aut declinari non possint, sed eundem, nec opinantem, aliquando invadant, ac opprimant. Homo enim NB. irrogenitus Verbum Dei audiens, non potest impedire, ne

D a

oria,

oriatur in corde suo NB. motus spiritualis, scil. cogitatio de peccato admissio, de vitandis flagitiis, ut B. Quenstedius loquitur P. III. f. 500. Imo vero B. Rappoltus non dubitat affirmare, Spiritum S. irresistibiliter agere, ratione gratia prævenientis, & disponentis ad Conversionem, ita ut motus ejus irresistibiliter, & necessario, mortuorum instar, in vitam vocatorum sentiamus. l. c. p. 1340. 1341. 1343. Quæ quidem verba, etsi cum grano salis accipienda sunt, ex iis tamen id colligo, fieri non posse, quin applicationem gratiæ Assistentis aliquis saltem in homine effectus subsequatur: qui uti a gratia dependet, sic nisi gratiosus esse non potest, quod effectus omnis naturam causæ imitatur.

### ΑΝΑΘΝΕΥΗ.

§. I. Dissentiens autem uti revera omnem Spiritus Gratiam Assistentem negat, sic omnem quoque illius effectum. Itaque ubi respondendum est, quisnam sit operationis Spiritus S. effectus? p. 72. dicit: effectum quidem ejus gratiosum esse nullum, ob malitiam scil. quæ obicem ponit operationi gratiæ, in se alias efficaci, effectus vero, vel consequentia ira, justi judicii divini, & condemnationis, computura habet. Negat igitur simpliciter ullum gratiæ operantis effectum dari respectu hominis; sed tantum consequentia quædam, respectu Dei.

§. II. Mihi vero in proclivi erit ostendere, quod gratiam Assistentem nec omnino nullus, nec gratiæ expers, effectus subsequatur. Non omnino nullus, quia obstat primum efficacia verbi, etiam qua actum secundum, quoad se; deinceps motuum gratiæ prævenientis inevitabilitas, quam utramque supra ostendimus. Nec gratiæ expers; quoniam alias sequetur, effectum illum esse mere-naturalem. Ut enim aliquando Lex etiam opponatur Gratia; quia tamen Gratia Conversionis operatur per Verbum Legis, & Evangelii, intenditque hominis poenitentiam, quæ & Contritionem, & fidem complectitur; hoc saltem in argumento, Lex Gratia non opponitur; sed natura. Si proinde sequitur Gratia operationem in homine effectus non-gratiosus, fuerit ille mere-naturalis. At vero cum Gratia sit aliquid supernaturale, quomodo respondebit ei effectus mere-naturalis? Num causa fuerit aliquid supernaturale: & effectus ex eadem resultans naturalis? Non puto. Sequitur ergo eundem esse gratiosum, quandoquidem omnes gratiæ conversionis gradus salutem hominis intendunt, & de ratione mediæ ad eam perveniendi participant.

Coll. diss. A. 234 misc. 44